



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Verna - A Dominica Septuagesimæ, ad Dominicam SS. Trinitatis

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Aliæ conformes Evangelio veritates producuntur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44214

etiam quantum ad spiritualem animi jacturam, quæ inde multis modis incurritur. Unde idem disertè Sapiens: *Qui impatiens est, sustinebit damnum: & cum rapuerit, aliud apponet.* Nam si saltè magis laborando, magis mereris, tolerabilis erit labor; sed iplo majori labore minus mereri, quis non deplorat?

Prov. 19.

Quis non agnoscat miserandum illum laborem, quem damnati sic deplorant, *lassi sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles.* Tum post multa concludunt, *Et virtutis nullum signum valuimus ostendere, in malignitate autem nostra consumpti sumus.* Verè malignitas, nolle exiguum illum laborem sumere, qui in meditando aut legendo requiritur ad fructum referendum, & in graviorem incidere cum periculo salutis aut perfectionis. Quis ex duobus laboribus non eligeret eum, qui minor est & fructuosior? quis noller is esse, qui multa redimat modico pretio? Denique audi alium Sapientem, quam præclare & aptè ad hæc omnia confirmanda de Doctrina Christi, pronuntiet: *Fili à juventute tua excipe doctrinam, & usque ad canos invenies Sapientiam: Quasi is, qui arat & seminat, accede ad eam & suscipe bonos fructus illius. Injice pedem tuum, in compedes illius, & in torques illius collum tuum: Subjice humerum tuum & porta illam, & ne acedieris vinculis ejus. Investiga illam & manifestabitur tibi, & continens factus ne derelinquas eam. In novissimis enim invenies requiem in ea, & convertetur tibi in oblectationem. Et erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis, & bases virtutis, & torques illius in stolam gloria: decor enim vita est in illa, & vincula illius alligatura salutaris. Quibus prope similia in fine libri repetit selectis quibusdam & exquisitis verbis,*

Sap. 5.

Eccles. 20

lib. 6.

Colluctata est anima mea in illa, & in faciendâ eam, confirmatus sum. Manus meas extendi in altum, & insipientiam eius luxi. Animam meam direxi ad illam, & in agnitione inveni eam. Possedi cum ipsa cor ab initio: propter hoc non derelinquar.

Videri possunt, quæ ibi plura prosequitur: nec non hæc Veritates & aliæ consimiles, quas ex aliis partibus ad Evangelicam parabolam rejicri est facile.

Sicut discursum nostri intellectus statim sequi debet affectus voluntatis: ita & affectum effectus seu exequutio.
In 1. parte, die 29. Decembris.


Si quid nos revocat à Doctrina Christi, vel ob id maximè recipienda est.
In 2. parte, Feria 6. infra hebdomadam. 2. post Epiphaniam.

Verbum Dei non redit vacuum: aut proficit necesse est recipienti vel obfit.
In 3. parte, Feria 2. infra octavam hebdomadam.

Qui non audit, non audietur.
Quibus nos attentiores esse oporteret, in his magis obsurdescimus.
In 3. parte, Dominica undecima.

Quod te imparatum magis reddit ad ferendum fructum, hoc te paratiorem deberet reddere.

Quantò minus puniri timeri infructuosus, tantò jam magis punitus est.
In 3. parte, in fine, ubi de renovatione votorum.



HAC HEBDOMADE, Materia Considerationum & Veritatum comprehendetur illo Sermone, quem Christus Dominus habuit statim à cæna cum discipulis facta, usque ad Orationem, quam ibidem in cænaculo fudit ad Patrem, prout refertur à sancto Joanne. Et quia illo toto sermone, hoc pene unum versat argumentum, ut fortes sint Apostoli in persecutionibus tolerandis, ed etiam præcipuè spectabunt Veritates, & iisdem motivis, quæ proponuntur à Christo Domino, innitentur ad hunc finem, ut discamus constantiam in adversis.

C. 13. 14.
15. & 16.

